

Codice Regularum. Denique S. Fructuosus Complutensis Abbas, Dumienſis deinde Episcopus, & ad Bracarenſem Episcopatum poſtea translatus, Monasticum Inſtitutum in Hiſpaniis maxime propagavit, ac duplicem pro Monachis condidit Regulam. Prior XXIII. altera XX. dumtaxat conſtat capitibus. Utraque S. Fructuoſi Regula edita eſt ab Holſtenio in Codice Regularum. Hi ſunt Sanctiſſimi Viri, qui ſæculo ſexto Monasticum Inſtitutum in Occidente late propagarunt, & Regulas pro Monachis, & Monialibus mirifica Spiritus Sancti unctiōe perſuſas, condiderunt.

Obiter tamen cum doctiſſimo Mabillonio Præſatione in primum Tomum Annalium Benedictinorum hic advertere debes, Monachos ſexti ſæculi, ſicut & in aliis præcedentibus, non uni peculiari Regulæ fuiſſe addiſtos, ſed aliquando plures inſimul Regulas uno in Monasterio fuiſſe obſervatas. Nam cum iſta Monastica Regulæ in unum ſcopum collimarent, ut ſcilicet, abdicationem omnium proprietate, Monachi vitam communem, laborioſam, abſtinentem, & a ſæculi tumultu alienam, in ſummo ſilentio ſub præpoſiti obedientia tranſigerent, ſtatique horis ad divina Officia, ad lectionem, ad curandum corpus convenirent; in promptu erat, quæ moralia ſunt in omnibus Regulis, proponere Monasteriis: Quæ vero ad Officia divina, jejuniorum, ac laboris penſum, aliaque id genus pertinent, pro nutu, & arbitrio Abbatis, ſeu Præpoſiti, ex illis Regulis deſumerentur. Quapropter in tanta Regularum diverſitate maxima erat Monachos inter omnes animorum conſenſio, una ſocietas, unumque corpus nulla veſtis quantavis diverſitate diſcretum. Facilis etiam erat ac promiſcuus ex uno in aliud Monasterium tranſitus, mutuusque commensus, non modo Latinorum inter ſe, ſed etiam Latinos inter ac Græcos, quibus ſat erat ſtabilitatem in novo Monasterio firmari. Ratio huius eſt, quia in ſexto ſæculo, ſicut & in aliis præcedentibus, unus tantum erat Monasticus Ordo, necdum in varias Claſſes diviſus, ſicut in præſentia diviſus eſt in Religioſis, exempli gratia, Mendicantibus, quorum univerſa, quamvis late ſparſa familiæ ſub uno peculiari capite, certis, & cuique propriis Officiis ac legibus Deo militant. At ſæculo ſexto unus erat in commune omnium ubique Monachorum tam Græcorum, quam Latinorum modus, & uſus religionis profitendæ; nec iſti Monastici Ordinis unitati officiabant diverſa illæ Regulæ, quæ aliquando in eodem Monasterio obſervabantur, quia, ut inquit *Lucas Holſtenius* in Præſatione ad *Codice Regularum* cap. 7. diverſa illæ Regulæ in commune proponebantur, ut ex his Monachi pro locorum & nationum differentia, vitam uniformi, quoad præcipua, diſciplina temperarent. Primaria quippe & quaſi fundamentalis Monachorum Regula, Evangelium erat; illa ſcilicet Chriſti conſilia, quæ caſtrare ſe ipſum propter Regnum Cælorum, quæ abnegare ſe & crucem tollere, quæ patrem, & matrem, uxorem

& agros propter Chriſtum relinquere; quæ vendere patrimonia & dare pauperibus; ſicque nudos Chriſtum ſequi, ſuadebant. Regulæ autem particulares nihil niſi ejus primæ ac univerſalis Regulæ applicationes, aut declarationes locis aut perſonis plerumque aptatæ habebantur. Hinc optime inſert Mabillonius, mirum non eſſe, ſi Regula Sancti Benedicti non ſolum in novis, quæ ſexto ſæculo condebantur, Monasteriis fuerit admiſſa, ſed etiam in antiquioribus Cœnobiiis, quæ jam ſuam habebant Regulam, fuerit adoptata, cum familiare eſſet illis temporibus, ut plures ſimul Regulæ in unoquoque Monasterio receptæ eſſent, & unitati Ordinis Monastici, qui tum ubique unus erat, diverſitas, varietate Regularum non obſtaret. Legiſis etiam ſuper hac re *Ludovicum Thomassinum* Oratorii Gallicani eruditum Presbyterum 1. parte lib. 1. c. 24. de *veteri & nova Eccleſiæ Diſciplina*.

D. Præſcribitur in his Regulis, quas ſuperius memoravi, ſevera Monastica diſciplina?

M. Severa in iſtis Regulis indicitur Monachis diſciplina, quæ ad iſta Capita revocari poteſt. Tenebantur Monachi Abbatibus prompte obtemperare, Chriſtum per arctam viam ſequi, abdicationem omnium bonorum temporalium perpetuo profiteri; jugem a carnibus abſtinentiam, interioris veſtibus aſperitatem, ſilentium quocumque tempore, ſed præſertim horis nocturnis obſervare, longa jejunia protrahere, vilibus cibis veſci, lamentis peccata ſua plangere, corpus abſtinentiis atterere, lectioni & meditationi Sacrarum Scripturarum vacare, brevem ſomnum carpere, noctu diuque divinas laudes in Eccleſia celebrare, vitam ſolitariam ducere, & quotidie operari manibus ſuis, ut non ſolum vitæ neceſſaria ſibi procurarent, ſed etiam indigentia aliorum propriis laboribus conſulerent. His ſanctiſſimis legibus adſtricti Monachi, ſoli Deo intenti ſerviebant, & angelicam vitam in terris agentes, cupiebant cum Apoſtolo diſſolvi & eſſe cum Chriſto, ut cæleſtibus delitiis, ad quas continuo anhelabant, æternum potirentur. Sed de Monastica ſexti ſæculi diſciplina ſatis, proſuſcepti operis noſtri brevitate, dictum ſit, de qua, ſi plura ſcire aveas, legiſis *Holſtenium*, *Cointium*, & *Mabillonium* locis ſupra citatis, ubi ſitum tuam ad ſatietatem uſque explere poteris.

D. Explanatis his, quæ ad fidei doctrinam, & diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quam Monasticam ſexti Eccleſiæ ſæculi ſpeſtant, hoc unum tantum impræſentiarum ſuperest, ut doctrinam Moralem ejuſdem ſæculi exponas, atque ſummatim perſtringas præcepta bene vivendi, quæ SS. Patres fidelibus tradiderunt.

M. Patres ſexti Eccleſiæ ſæculi aliorum, qui ipſos præceſſerant, veſtigiiſ inſiſtentes, doctrinam Moralem tum in Operibus Aſceticis, tum in Homiliis, quas ad populum habebant, diligenter juxta ac erudite expoſuerunt. In hoc tamen genere duo præcipue excelluerunt, videlicet *Sanctus Joannes Climacus* apud Græcos, & *Sanctus Gre-*

Gregorius Magnus Papa apud Latinos. In libris Moralibus Sancti Gregorii Magni, qui habentur Tomo 1. recentis ejus Operum Editionis adornatæ a Patribus Benedictinis Congregationis Sancti Mauri, extant optima morum præcepta omni ætati, ſexui, & conditioni conſentanea, ex quibus, velut e torius Evangelicæ Moralis promptuariis, Verbi Divini Præcones, & animarum Curatores tutiſſimam & ſaluberrimam haurire poſſunt moralem doctrinam, ad dirigendas animas ſuæ curæ concreditas in viam ſalutis. Tot inter præcepta moralia non pigebit aliqua ex Sanctiſſimi illius Pontificis Operibus excerpta ſeligere, hicque ſubnectere, ut ſpecimen aliquod moralis doctrinæ ſexti ſæculi habere poſſis.

In primis, lib. XIX. in Caput XXIX. in Job num. 30. docet Sanctus Gregorius Magnus, in Eccleſiæ Reſtoribus, quod de Confeſſariis præſertim intelligendum eſt, nec vigorem debere eſſe rigidum, nec manſuetudinem diſſolutam. *Sunt namque*, inquit Sanctus ille Doctor, *nonnulli ita diſtricti, ut omnem manſuetudinem benignitatis amittant: & ſunt nonnulli ita manſueti, ut perdant diſtricti jura regiminis. Unde cunctis Reſtoribus utraque ſummopere ſunt tenenda, ut nec in diſcipline vigore benignitatem manſuetudinis, nec ruſum in manſuetudine diſtrictionem deſerant diſcipline; quatenus nec a compaſſione pietatis obdureſcant, cum contumaces corrigunt, nec diſcipline vigorem molliant, cum infirmorum animos conſolantur. Regat ergo vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendat ex altero, ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.* Juxta hanc ſapientiſſimam S. Gregorii Magni Regulam debent Paſtores, & Reſtores animarum a rigidiore, ſicut & a molliori morum diſciplina ex æquo abhorreſcere, & in medio conſiſtere, ne ad extrema impingentes, auctores ſint ruinae, & damnationis multorum. Sunt enim nonnulli, ut obiter dicam, qui in regimine animarum, quod Sanctus Gregorius Magnus *Artem artium* appellat, ſeſe ingenioſos præbeat in evellendis ſpinis pœnitentiæ, in diſſipanda lege Chriſti, in excutiendis conſcientiæ ſcrupulis; ſolertes in excogitandis lenociniis, & flexibilibus quibuſdam regulis, quo peccatores ſarcina licet criminum gravati commodiorem vitam agere, & in utramvis, ut ajunt, aurem dormire poſſint; ſagaces in præſcribendis vivendi formulis, quæ in malis bona, in ambiguis certa, in laboribus otium, in dubiis ſecuritatem, in periculis promittunt tranquillitatem; quin, ſtupenda rerum mutatione efficiunt, ut dulceſcat quod amarum eſt, blandiatur quod horrendum eſt, formoſum fiat, & ſuaſe, quod deforme, & ſœdum eſt. Sunt vero ex adverſo alii nonnulli, qui nimia morum aſperitate peccatores adeo terrent, ut in cauſa ſint, cur in deſperationem ſuæ ſalutis adducti prorumpant ad præcipitium, & cum infelice Juda ad funeſtum laqueum conſugiant. Ab utroque itaque extre-

mo ſaluti animarum perinde noxiō, ut ſibi caveant Reſtores animarum, debent, juxta hanc Regulam a S. Gregorio Magno prudentiſſime ſtatutam, eſſe erga peccatores manſueti æque ac ſeveri, ut poſſint infirmos lacte nutrire ne periclitentur, robuſtis ſolidiorem cibum porrigere ut in virtutes adoleſcant, alios manſuetudine allicere, alios rigidiore diſciplinæ virga a vitiiis deterrere, ſicque omnibus omnia facti omnes peccatores Chriſto lucrifaciant.

Præterea, S. Gregorius Magnus Homilia XXV. in Evangelia docet Paſtores, & eos, quibus incumbit cura animarum, quo pacto ligandi atque ſolvendi poteſtate uti debeant: *videndum eſt*, inquit, *quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctiōis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſentis, cum interni arbitrii ſequitur judicis.* Qua altera Sanctiſſimi Pontificis Regula damnantur laxi illi animarum Reſtores, qui conſuetudinaris, & inveteratis peccatoribus toties impendunt abſolutionis beneficium, quoties ipſi, quaſi canes ad vomitum revertentes, peccata ſua contentur, etiamſi nulla in illis veræ pœnitentiæ, ac ſinceræ converſionis ſigna appareant.

Tertio, S. Gregorius Magnus Homilia XX. in Evangelia peccatoribus jam ad meliorem frugem converſis modum conſtantem ac veram pœnitentiam agendi præſcribit hiſ veſtib: *Aliud namque eſt pœnitentiæ fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim ſecundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſiſſi, huic jure conceditur ut licitis utatur, ſicque pietatis opera faciat, ut tamen, ſi noluerit, ea, quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſiquis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod gravius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto a ſelicitate debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraviſſe.* Item S. Doctor Homilia XXIV. in Evangelia, ait, Artes, quæ vix abſque peccato exerceri poſſunt, omnino poſt converſionem eſſe relinquendas: *Sunt enim*, inquit, *pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt ut poſt converſionem animus non recurat.* Et Homilia XXXIV. in Evangelia docet idem S. Pontifex in quo ſita ſit vera pœnitentia: *Pœnitentiam quippe agere, eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat.* Ad hanc S. Gregorii moralem Doctrinam, quæ ſexto Eccleſiæ ſæculo obtinebat, ſi peccatorum converſiones, quæ noſtris temporibus ſunt, exigantur, quam pauca, proh dolor! invenientur veræ, ſinceræ ac diuturnæ. Mitto, brevitatibus ergo, alia quamplurima utiliſſima morum præcepta, quæ S. Gregorius paſſim tradidit in ſuis libris Moralibus, videlicet in libris XXXV. Moralium in Job, in duobus libris in Ezechielem, & in duobus libris in Evangelia,

gelia, in quibus totus est Sanctissimus Pontifex, ut Christianos adhortetur ad amorem Dei super omnia, ejusque mandatorum observationem, ad dilectionem proximi, ad timorem judiciorum Dei, ad dignam celebrationem Festorum, & Sacramentorum susceptionem, ad tolerantiam malorum in adversis, ad odium omnium vitiorum, ad exercitium, & incrementum Christianarum virtutum. Hos itaque Sancti Gregorii Magni libros Morales mirifica Spiritus Sancti unctione perfusus, auctor tibi sum, charissime Discipule, ut assidue pervolvas, puram, & integerrimam Moralem Christianam ex illis haurias, ad cujus normam tuos mores jugiter componas. *Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt, verba sunt Apostoli Pauli I. ad Timotheum cap. IV.*

FINIS TOMI SECUNDI.

FR. IGNATII HYACINTHI AMAT
DE GRAVESON

ORD. FF. PRÆDICATORUM

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORIS,
ET COLLEGII CASANATENSIS THEOLOGI,

OPERA OMNIA

NUNC PRIMUM DILIGENTER COLLECTA, IN UNUM CORPUS
REDACTA, ET LUCULENTISSIMIS ADDITIONIBUS,
PERPETUISQUE ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

AB ILLUSTRIS. ET REVERENDISS. D. D.


JOANNE DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI.

TOMUS SEXTUS

COMPLECTENS

Historiæ Ecclesiasticæ N. T. volumen tertium, nempe septimum,
octavum, & nonum Ecclesiæ Sæculum.



BASSANI, MDCCLXXIV.

SED PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.